



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 96. Magnus Magister civitate vetere appulsus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI. fatali hac calamitate sat pressum, om-
A.C. 1523. nino extinctum iri, proin ab ipso rogari, ut Sanctitas sua imminenti malo reme-
 dium poneret. Papa Magistri peti-
 tionem omnino æquam existimans, ut
 Equites in Magistri obsequio persiste-
 rent, Constitutionem edidit, qua eis in
 virtute sanctæ obedientiæ injunxit, ut
 Magni Magistri imperio subjecti perma-
 nerent, refragantibus vero anathema-
 tis poenam comminatus est. Obten-
 tam hanc Constitutionem Legatus quan-
 tocyus Messanam transmisit; eo enim
 Liladamum jam appulsum censebat, eo-
 quod jamjam ineunte Martio e Creta
 solvisset, verum sævissima tempestate ja-
 catus nonnisi ad initium Mensis Maji
 cum exigua classe sua Messanæ portum
 ingredi potuit; vix autem eo advene-
 rat, cum Pontificis literas, quas ei Mes-
 sanensis Prior tradidit, non sine animi
 sui lætitia reciperet, easque coram suis
 Equitibus perlegi juberet, qui illas cum
 summa demissione exceperunt, palam
 professi, se jussis prompto animo obse-
 cundaturos.

§. XCVI.

*Magnus Magister civitate-veteri
 appulus.*

Spond. ann. **E**o tempore pestis Messanam invaserat,
1523. n. 3. quocirca Ordinis Magister quanto-
 cius

cius inde secedens, ad Bahiæ Sinum contendit, ibidemque haud procul a per-
vetuitæ urbis Foiæ ruinis castra meta-
tus est, ac post unius mensis moram e
portu classem in altum detorsit, ac pau-
cos infra dies Civitatem - veterem per-
venit, indeque suorum Equitum quem-
dam Romam ablegavit, qui a Papa col-
loquii gratiam exoraret; prævenerat
tamen illum Conchensis Episcopus, qui
Papæ Adriani nomine Magistro signifi-
cabat, quod eum tam mature adventu-
rum haud credidisset, proin aliquamdiu
quieti indulgeret, donec de alloquii
copia misso Nuncio certior fieret.

§. XCVII.
*Colloquium a Magistro petitum ob
Papæ infirmitatem dilatum.*

Aversa hæc rerum vicissitudo qua-
dantenns Magistri animum afflixit, *Bosius hist.*
Rhod. I. 2.
tempori tamen cedere coactus est. In-p. 20.
terea temporis summus Pontifex Romæ
die decima quinta Augusti in Eccle-
sia ad S. Mariam Majorem, ubi assisten-
tibus cunctis Cardinalibus rem divinam
peregit, bellum adversus Gallos sole-
nni ritu nunciari jussit; cum vero hæc
solemnitas multum temporis absumeret,
Papa haud parum inde fessus, dum
ad Palatium redibat, febri correptus est.

Hæc